

1597

otio aggesta ab Italibus Principibus pecunia effunderetur. Attamen quemadmodum quid consilii initurus Philippus, ambiguum; ita quæ mens Gallorum foret, haud difficile cognitu videbatur, cum novis bellis implicari Hispanos, atque in alias regiones, quæ per tot annos Galliam afflixerant, arma traduci, illis maxime conduceret. Quocirca Lucemburgius, quæcumque ab Henrico profici possent, præfectos, milites, Clementi deferre; ipsum quoque Regem, si liber bello esset, egregia majorum exempla imitatum, ad opem Ecclesiæ feren-dam alpes transgressurum. Cui Pontifex gratiis actis, nihil aliud ab Henrico petere ajebat, nisi ut copias e Gallia educere Estensi minime permitteret. Ceterum de eventu Regem solicitorum, quocumque res inclinarent, contra nixurum Hispanis existimabatur; si Cæsari favissent, palam Pontificis patrocinium suscepturnum; sin pro Clemente stetissent, ad Estensem, Maynio, Nemorosio, aliisque e Gallica nobilitate proceribus affinitate conjunctum, suis aditu permisso, belli alimenta suppeditaturum.

Patrum quoque animos humanissimis officiis ac verbis sibi adstringere Clemens nitebatur. Crebris cum Delphino sermonibus Ecclesiæ causam commendare; quantum finitima Ecclesiæ habere gratum Reipublicæ esse debeat, ostendere; ab ea omni tempore haud vulgaria beneficia accepturos: se quidem, quod ad fines attinet, quacumque in re possit, satis Reipublicæ facturum; nulla inde incommoda, nullas molestias ullo unquam tempore accepturos. Contra Patres, quibus Italiae pace nil antiquius erat, assidue illum hortabantur, ne armis publicam tranquillitatem turbaret, ne egregie gesti pontificatus gloriam imminuere vellet: qui in remotis regionibus christianæ reipublicæ hostes consilio, pecunia, copiis oppugnasset, a nostrisque finibus summa providentia summovisset, ne modo in hanc provinciam illiceret: florentem populis, divitiis, artibus Italiam diuturni atque infausti belli sedem ne constitueret. Quoniam vero Clementem in Anconæ portu classem collocaturum afferebatur, ea avertere consilia Delphinus jubetur. In occursu pontificiarum Venetarumque triremium haud exigua incommoda evenire posse: nil molestius, nil durius Italæ contingere. Clemens vel hisce

ra-

*Henricus  
Rex Pontifici  
ei Gallici re-  
gni opes do-  
fere.*